



Universitätsbibliothek Paderborn

**Hermes Theologicvs, Id est Synopsis totius Theologiæ,
perspicuè, doctè, subtiliter, ac breviter discussa**

Et In octo Partes ... distincta ...

De Peccatis Et Gratia

Vindalium, 1646

Sectio I. Quotuplex sit gratia actualis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38789

182 TRACTATVS
hic operandum, eo modo quo explicabitur.

SECTIO I.

Quotuplex sit gratia actualis.

CONCLUSIO VNICA.

Gratia actualis diuiditur in excitantem, & adiuuantem.) Ita sumitur ex Patribus, & Conciliis, ac speciatim ex Tridentino sess. 6. cap. 5. & 6. Gratia excitans et si latius nonnunquam sumatur, propriè iuxta communem acceptiōem, nihil aliud significat quam motionem quandam supernaturalem in animo hominis diuinitus excitatam, quæ consistit in illustratione intellectus, & inspiratione voluntatis, seu in sancta cogitatione, & pio affectu, quibus Deus pulsat cor hominis, illudque veluti dormientis excitat ad actum quandam supernaturalem, iuxta illud Apoc. 3. Ego sto ad ostium, & pulso.

Vbi nota 1. quod quemadmodum vox illius qui dormientem excitat, profertur absque consensu dormientis, ita

gratia excitans confertur homini absque illius consensu; non quod anima merè passiuè se habeat ad illam excitationem, est enim actus quidam vitalis qui à potentia vitali necessariò profluere deberet, sed quia et si physicè, non tamen liberè ad eam concurrit.

Nota 2. ex probabiliori sententia, Deum per se immediate, & non interventu alicuius qualitatis, aut motionis creatæ, pios illos motus in nobis excitare. Siquidem ex Conciliis, & Patribus, non alia videtur colligi gratia, nisi aut habitualis, quæ complectitur gratiæ sanctificantem, & virtutes infusas; aut actualis, quæ in actibus quibusdam indeliberatis constituitur, nempe in sancta cogitatione intellectus, & pio voluntatis affectu.

Dices, ergo gratia pendebit à natura, quod est Pelagianum. Distingue, nam si pendere à natura idem sit, ac pendere ab anima operante per modum naturæ seu necessariò & non liberè, conceditur; si vero sensus sit, nos viribus naturæ posse in nobis eiusmodi motus excitare, negatur; requiritur enim ut Deus in nobis eos excitet, non per virtutem aliquam creatam, & in anima receptam, sed per se immediate in illos influendo, per con-

184 TRACTATVS
cursum quendam specialem, & superna-
turalem à Pelagio nunquam admissum,
ut patet ex lib. i. cap. 14.

SECTIO II.

*De diuisione gratia actualis in operan-
tem & cooperantem.*

CONCLUSIO VNICA.

Gratia actualis benè diuiditur in
operantem & cooperantem.) Ita
colligitur ex Scriptura, Conciliis, & Pa-
tribus, quatenus sæpe aiunt, Deum in no-
bis, & nobiscum operari; priori enim
loquendi modo indicatur gratia operans,
posteriori cooperans: speciatim verò no-
tandum est illud Augustini libro de gra-
tia & libero cap. 17. cooperando perfic-
cit quod operando incipit, quoniam ipse
ut velimus operatur incipiens, qui volen-
tibus cooperatur perficiens. Et posteà, ut
ergo velimus sine nobis operatur, cum
autem volumus, & sic volumus ut fa-
ciamus, nobiscum operatur.

Ex quibus Augustini verbis insurgit
triplex dubitatio, prima, quo sensu ille
dicat, Deum operari in nobis sine nobis,